DISPUTATIO INAUGURALIS

24

DE

HYDROCELE.

AUCTORE PETRO JACKSON SKERRATT.

Ut omnibus qui in hac Academia summos medicinae honores ambiunt, aliquid de re medica disserere necessarium est, mihi est in animo pauca de *Hydrocele* componere.

Nomen *Hydrocele*, origine vocis spectata, omnem tumorem aquosum, in quacunque corporis parte situm, designare possit ; sed a

Edinburgh 1815



medicis, in omni aevo, tantum his qui occupant *membranam cellulosam* scroti, vel tunicas testiculorum, et *vasorum spermaticorum*, impositum est.

Hic morbus, sub variis aliis nominibus, ut *Hernia aquosa*, *Hydrops scrotalis*, *Ramex aquosus*, *Apostema aquosum*, scriptoribus Graecis, Latinis, et Arabicis datis, diu medicis cognitus est. CELSUS * "De Testiculorum "natura et morbis," non modo ejus mentionem facit, sed anatomia et pathologia eorum temporum spectatis, rationem ejus symptomatum mira fide reddit, quomodo curatur exponit, et etiam, quamvis nonnihil obscure fateor, diversas species notat.

Antiqui medici, et recentiores quoque, ad nostra fere tempora, hunc morbum esse

---

* Lib. vii. Cap. 18. et seq.

speciem herniae, sibi persuasum habebant, et *Hernia spuria* est nomen vulgo datum huic, aliisque tumoribus in regione inguinis et scroti sitis; et Celsus, quamvis, more solito, Graecam appellationem (ὑδροκήλη) dederit, tamen nos certiores facit, Latinos nulla voce usos esse ad distinguendum hunc ab aliis tumoribus, intestinis vel omento protrusis effectis. Post herniam veram tractaverat, pergit dicere, "Integris vero membranis inter-
"dum eam partem humor distendit. Atque
"ejus quoque species duae sunt. Nam vel
"inter tunicas is increscit, vel in membra-
"nis, quae ibi circa venas et arterias sunt,
"ubi hae gravatae occalluerunt. Ac ne ei
"quidem humori, qui inter tunicas est, una
"sedes est. Nam modo inter summam et
"mediam, modo inter mediam et imam con-
"sistit. Graeci communi nomine, quicquid
"est, ὑδροκήλην appellant: nostri vero, scilicet

"nullis discriminibus satis cognitis, haec quo-
"que sub eodem nomine, quo priora, ha-
"bent."

Sed scriptores seculi proximi consulere necessarium est, ad acquirendam veram notitiam de Hydrocele, natura cujus parum cognita fuit, antequam observationes celeberrimi Monro primi, et clari chirurgi Sam. Sharp in medium prolatae sunt. Et ita in nostra investigatione haud pretium foret operae, ad auctores paulum ante aetatem eorum respicere, quoniam in ulla re quoad hunc morbum, vix antiquioribus antecellere videntur. Ad has observationes comprobandas, opinionem Chesselden, de his tumoribus testem citabimus, chirurgi, qui merito omnibus aliis sui temporis anteponitur, et quo haud ullus aut major aut clarior, unquam hanc partem scientiae excoluit et ornavit. Vera her-

nia aquosa, inquit, ab abdomine originem ducit, et humor vel peritonaeum in scrotum extendit vel rumpit, et tunc nova membrana formatur, quae tanto crassior fit quanto porrigitur, sicut in aneurismate vel atheromate accidere observatur. Hydrops in sacco, nam talis profecto est, raro persanari, sed plerumque punctura, ut in hydrope abdominis, tantum levari potest; et hoc haud prorsus sine difficultate perficitur, quia omentum plerumque, et interdum intestinum cum ea descendit. Talis fuit opinio hujus chirurgi de natura istius tumoris; et variae aliae, pariter falsae, et etiam absurdiores, praegressis scriptoribus erant. At paulo ante nostra tempora, hydrocele majorem attentionem sibi vindicavit, et multi clari auctores, magna cum diligentia, de eo disseruere. Laboribus horum scriptorum, et partibus omnibus hujus scientiae nunc majore studio excultis, et ac-

curatiorem notitiam de morbo comparavimus, et quomodo optime levetur, quomodoque persanetur, melius dijudicare possumus.

Ut in paginis sequentibus tam plenam descriptionem hujus morbi, et modorum ejus sanandi darem, quam fines, tentaminibus hujusmodi praescripti sinunt, mihimet proposui. In hoc consilio prosequendo, imprimis, quaedam dicam de tumore hydropico scroti, qui plerumque, sed me judice, improprie, inter species hydroceles annumerari solet. Natura humoris, tumorisque situs, certe haud recusant hanc appellationem, quamvis, profecto, tantum symptoma est conditionis hydropicae corporis. Membrana cellulosa scroti dependentis, laxa et sine adipe, quanquam facilius distendi possit sero, ex propriis vasis exhalato, tamen tantum particeps est morbi vicinarum partium. Sed ut magni momenti

sit, inter hunc et alios tumores aquosos, quibus hae partes obnoxiae sunt, dignoscere, necessarium erit pauca de eo prius conscribere, quam ad veras species hydroceles veniamus.

Omni, haud prorsus perignaro anatomiae, manifestum erit, nullum commercium directum inter hunc tumorem, et aquam in cavum abdominis effusam, intercedere posse, et itaque, in nullo exemplo, originem ducere ab hoc fonte, ut olim opinio fuit. Sed cum arctum connexum, qui existit inter omnes partes hujus membranae cellulosae, spectemus, et facilitatem cum qua aër vel aqua, ab alia in aliam partem transeat, nobis persuasum erit, scrotum et natura structurae ejus et ejus situs, distentioni cum aqua, in statu hydropico corporis, obnoxium esse. Et ratio meden-

di erit, *diathesin* hydropicam, modis vulgo adhibitis, vel corrigere vel amovere.

Signa quae hanc speciem hydroceles designant, quam brevissime enumerabimus. Est tumor mollis et aequabilis, omnem partem membranae cellulosae, qua ambae testes obteguntur, obsidens, et ita moles ejus eadem in utroque latere est; cutis nec decoloratur, nec inflammatione afficitur: si quantitas aquae et hinc distentio haud permagnae sint, naturales rugae scroti non omnino obliterantur: tumor tractatus praebet sensum similem ei, quem a farina subacta accipimus; facile recipit, et aliquantisper vestigia digiti retinet. Raphe scroti tumorem in partes fere aequales dividit; *chorda spermatica*, naturalis magnitudinis, nullo modo afficitur, et testes videntur esse in medio membranae onustae: At si quantitas seri extra vasa exhalati, permagna sit, cutis ab ru-

gosa fit laevis et tensa, et statum limpidum humoris subjacentis plane ostendit. Tumor frigidus est; haud tamdiu impressiones digiti retinet, et semper simili distentione cutis penem tegentis comitatur, praeputium cujus multum distorquitur. His symptomatibus topicis, vultus flavus, anorexia, urina parca, oedema pedum, alvus dura, cum sedibus mucosis fere conjunguntur.

Non mihi est in animo aliquid de hydrope generali, hoc tempore dicere, quoniam ab nostra re videtur alienum esse. Sed nonnunquam scrotum et partes adjacentes sero accumulato ita distenduntur, ut non modo aegro molestissima fiunt, sed medicum magno terrore incutiunt, ne in gangraenam inciderent. Re ita se habente, valde necessarium erit, ope instrumenti magnitudinem tumoris diminuere.

Haec evacuatio humoris nunc optime in hoc modo efficitur: Quaedam parva vulnera scalpello, in parte tumoris maxime dependente, tam alta ut modo membranam cellulosam subjacentem pertingant, in cute punguntur. His aqua ob arctum nexum, qui inter omnes partes hujusce compaginis interest, certe et libere effunditur. Vix ullum doloris ad tempus, vel incommodi postea, hac operatione sentitur; cutis mollis sine inflammatione vel dolore restat, et in statu in quo operatione, si necessarium fuerit, iterum iterumque uti possimus, et haud opus erit ulla alia, nisi fomenta calida, blandaque unguenta adhibere. Olim alii modi, nempe incisiones, et setacea, ad tumorem evacuandum secuti sunt, quos chirurgi, nunc temporis, optimo jure abjudicavere et rejicere. Bene cognitum est magna vulnera in partibus membranaceis aegrorum hydropicorum semper dolentissima,

perdifficillimaque sanatu esse, et fere maximo periculo comitari; malo generi inflammationis obnoxia sunt, et saepenumero, quanquam omnia idonea remedia adhibita sunt, in gangraena terminant. Ut remediis hujusce generis tantum utimur ad levandum, non ad persanandum morbum, certe id, quod et tutius et melius est, omnibus anteponere debemus.

Vix expectandum est, aegrum secundam valetudinem, ab evacuatione humoris tantum, recuperaturum, quanquam interdum de improviso acciderit, et tunc fortasse haec fausta terminatio, mutationi alicui salutari, in corpore effectae, potius tribuenda est. Ad hunc finem optabilem consequendam, itaque, necessarium erit remediis potentioribus uti.

Si hunc tumorem scroti, ut symptoma sta-

tus hydropici universi corporis, et non ut speciem hydroceles, spectemus, tres species verae hujusce morbi restabunt, de quibus nunc loquendum est. Hae sunt, *imprimo*, Hydrocele tunicae vaginalis testis.

2do, Hydrocele generalis membranae cellulosae *chordae spermaticae*.

3tio, Hydrocele in sacco ejusdem membranae condensatae.

Sed ad primam, nempe hydrocelen tunicae vaginalis testis, praecipue animum dirigemus, quia et frequentissima est, et maximi momenti, et hac specie, modisque, qui in curatione ejus adhibentur, probe cognitis, tantum opus erit pauca de reliquis dicere.

Tunica vaginalis testis, in statu naturali

et sano, velut alia clausa cava corporis, semper re fluida tenuissimaque, arteriis extremis quae in sacculo terminant, exhalata, irrigatur et lubricatur: hoc motus partium faciliores reddit, et adhaesioni obstat. Humor supervacuus plerumque vasis *lymphaticis* exhauritur, ita ut morbida accumulatio ejus prohibeatur. At si vel arteriae exhalantes nimium effundant, vel vis resorbens *lymphaticorum* imminuatur, scrotum sero paulatim distenditur, et morbus, de quo nunc agitur, formatur.

Causae hydrocelen inducentes adhuc haud bene perspectae sunt. Interdum ab ictu vel contusione originem suscipit, et tunc gressus ejus celerrimus est. Interdum herniae humorali et affectionibus inflammatoriis urethrae supervenit; et quia saepissime in regionibus calidis occurrit, conditio corporis relaxata putatur esse causa ejus frequentis-

sima. Sed plerumque nulla causa attribui potest. Morbus est cui omnes viri obnoxii sunt, an sint divites an pauperes, an infantes an adulti, an aetate confecti, an validi et robusti, an debiles et infirmi, an degunt vitam cum voluptate vel cum abstinentia, an laboriosam vel ab hac prorsus diversam.

Magnitudo et forma tumoris varia sunt in diversis hominibus, et ab rebus aliter se habentibus. Initium versus fere subrotundus est; sed morbo ingravescente, si nihil incremento obstet, plerumque figuram pyriformam induit, extremitate sua majore deorsum tendente; interdum ad magnam molem, in quibusdam exemplis fere ad genu usque exporrigentem, increscit. Magnitudine valde aucta, tensior fit, et rugae scroti pene obliterantur. Gravitate ejus cutem partium adjacentium ita deorsum trahit, ut penis multum

decrescit, et nonnunquam fere omnino evanescit. Tumor ipse prorsus indolens est, sed aliquid molestiae in lumbis interdum sentitur: translucidus est, ut, lucerna pone eum posita, videri possit; sed hoc signum maximi momenti in morbum dignoscendum interdum sed raro deest; et ita evenit cum hydrocele per longum tempus perstiterit, cum saccus ejus multum condensatur, vel cum res contentae valde opacae sunt. Testis ad mediam et posteriorem partem tumoris situs est; et quanquam haud semper clare distinguendus sit, tamen ad situm ejus aliquid duritiei sentiri potest; et hoc symptoma satis certe dignoscit inter hanc et alias species hujusce morbi. Tumor hydropicus scroti in omnibus partibus aequaliter tumidus et mollis est, et facile ubique impressiones digiti recipit retinetque. Hydrocele *chordae spermaticae* similem sensum tactui in omnibus

partibus praebet, et testiculus infra tumorem perspicitur. In hydrocele tunicae vaginalis, fluctuatio plerumque notabilis est. Sed hoc signum quoque in his quae diu perstitere, vix observari potest. *Chorda spermatica* ad superiorem tumoris partem plerumque plane sese ostendit, quanquam interdum, sed raro evenit, incremento tumoris versus inferiorem partem impedito, saccum sursum ad annulum abdominalem usque extendere. Haec sunt symptomata, quae hanc speciem hydroceles maxime indicant, et, animo intento probe spectata, plerumque distingui possit ab omnibus morbis qui partes fere easdem afficere solent. Sed ad diagnosin certiorem formandam, fortasse in hoc loco necessarium foret, pauca, de signis quae propria sunt his morbis, proferre.

In hydrocele tunicae vaginalis, ad inferio-

rem scroti partem tumor incipit, et paulatim sursum tendit; manu premente haud retrocedit; non corporis positione nec tussiendo afficitur, et plerumque *chorda spermatica* plane sentitur: dolor, nausea, et affectiones ventriculi et intestinorum desunt. His signis ab hernia distinguitur.

In hydrocele *chordae spermaticae*, testiculus ad inferiorem partem tumoris sentitur: tumor supra id organum primo se ostendit, et paulatim deorsum porrigitur.

Ab schirro testiculi clare dignoscitur, quia in hoc, tumor durus est, et haud pressurae cedit, ab superficie ejus inaequali, dolore, et ab pondere tumoris, magnitudine ejus spectata.

Inter hunc et hydro-sarcocelen diagnosis

multo difficilior est, et medici peritissimi interdum vix aut ne vix quidem aliam ab alia distinguere possunt. In dubiis exemplis hujusce generis, fortasse melius erit, caute tumorem incidere, et ita naturam ejus explorare, quod sine minimo periculo perficiatur.

Hernia humoralis, vel a vi aliqua externa testibus illata, inducitur, vel gonorrhoeae vel aliis inflammationibus urethrae supervenit.

Modos varios, qui in hydroceles curatione usurpati sunt, ad duo capita redigere possumus, scilicet in eos qui imperfectam, et in eos qui perfectam curationem efficiunt.

Curatione imperfecta tantum utimur ad submovendum incommodum pendens ab ingenti distentione et magnitudine tumoris, et tunc pro certo est morbum ad diem haud

procul remotum redintegrari. Curatione perfecta morbus omnino sanatur, et non revertere potest, quoniam saccus, in quo humor inclusus fuit, prorsus obliteratur.

Ratio in qua morbus tantum levatur evacuatione humoris, est simplicissima, et vel ope scalpelli, vel instrumenti quod *trocar* nominatur, perfici possit. Scalpellum, quia peracutum est, dolorem minorem aegro dat. Sed unum, quod usui ejus objici potest, fortasse nos alterum anteponere inducerit. Cum pars aquae emittitur, interdum vulnus in integumentis, ab eo tunicae vaginalis recidit, et eo, vel humor effluere desinit, vel in membranam cellulosam scroti infunditur. Ope alterius instrumenti, totus humor effluit, et talis casus haud evenire potest. Cum natura morbi haud bene perspecta est, parvum vulnus scalpello tutius faciamus; sed

rebus aliter se habentibus, alterum praeferri debet; et eo, melius in hoc modo perficitur: Tumorem manu, ad partem superiorem ejus firmiter comprehendere debemus, et tum saccum parvo acuto instrumento, in *canula* condito, perforari ad anteriorem et inferiorem partem tumoris; tunc instrumentum perforans extrahendum est, canula relicta donec totus humor effundatur. Hoc peracto, tantum necessarium erit, paulum *emplastri adhaesivi* vulneri imponere et pressura idoneis fasciis uti.

Hoc, ad omne tempus vitae, et fere in omni statu valetudinis, et conditione corporis, perfici potest. Quod ad morbum persanandum agitur, majorem curam sibi vindicat, quanquam, modum quo medici nunc utuntur, vix majus periculum comitatur.

Modi qui ad hydrocelen persanandam adhibiti fuerunt, ad sex capita reduci possent, quae sunt, incisio, excisio, caustica, pencillum, setacea, et injectio cujusdam liquoris stimulantis in saccum postquam omnis aqua effusa fuit. Sed de proximo eorum tantum est mihi in animo, ad hoc tempus, dicere, quoniam alii, post longam experientiam, vix aut nunquam ab ullo chirurgo hodierno tentantur.

Ut injectio in curatione hujus morbi remedium tam praeclarum est, medici multum de auctore hujus modi disputarunt. Dr Monro dicit *, has primo tentatas esse a chirurgo ejusdem nominis, versus initium seculi proximi, qui spiritu vini usus est ; sed quanquam aeger hoc experimento sanatus fuit,

* Vide Edinburgh Medical Essays.

tamen inflammatio tam vehemens excitata fuit, ut postea injectiones ex re mitiore, nempe ex vino ipso, formavit. Sed videtur, injectiones solutionis muriatis hydrargyri cum calce in usum vocatas esse a chirurgo Gallico, Lambert, ante hoc tempus. Sed ut hae ex rebus tam acribus constitere, et itaque tam magnam inflammationem induxere, vix ab ullo, in hac regione, usurpata fuerunt. Postea Earle vinum Lusitanum omnibus aliis praetulit, vires cujus nunquam tam magnae sunt, ut periculosae essent, et hae, si necessarium foret, addendo aquam facile imminuantur. Haec injectio haud multum doloris inducit, nil nisi quod volumus facit, et nulla alia operatione morbus tam cito aut tam tuto curatur.

Medici nunc plerumque tribus partibus vini, cum una aquae commistis utuntur ; sed

vir peritus sagaxque vel majorem vel minorem quantitatem aquae, secundum symptomata aegri, in vinum instillabit. Si partes parum sensibiles sunt, et nullus dolor primam injectionem subsequitur, tunc liquorem fortiorem infundere debemus; si nimis acris, plus aquae adjicienda sit.

Haec operatio est simplicissima, et in modo sequenti optime perficitur : Toto humore ab tunica vaginali, per canulam effuso, saccus iterum ad pristinam fere magnitudinem, vino cum aqua misto, et per idem instrumentum injecto, distenditur. Hoc in scroto detinendum est, decimam circiter horae partem, vel donec aliquid doloris in testiculo excitatur, et tunc lente et caute ab tunica vaginali exprimendum. Quamprimum injectio scrotum distendit, aeger plerumque de do-

lore in regione inguinis et renum conqueritur, quod tamen signum optabile est, quoniam ostendit inflammationem invitatam vino concitari.

Haec ratio medendi hydrocelen, tam bene cognita et tam certa est, ut nunc ab omnibus persequitur; et tam mitis, ut nullam aliam tentare debemus.

Post operationem, curatio haud absimilis est illi quam sequimur in *hernia humorali.* Scrotum fasciis idoneis sustentandum est; alvus soluta tenenda est ope lenium remediorum purgantium, et praecipue salium mediorum; fomentationes et cataplasmata emollientia parti ipsi sunt adhibenda.

Quod ad caeteras species hydroceles, quas antea enumeravimus, quod jam dictum

est de hoc morbo in tunica vaginali testis, illis quoque, maxima ex parte conveniet; itaque haec, cum paucis tantum verbis demittere statui.

Tumor hydropicus *chordae spermaticae*, ab effusione seri, in cellulas membranae, quae vasa et nervos testiculorum circumdat, inducitur, nulla affectione hydropica corporis existente; vix unquam magnam magnitudinem attingit; sed si vir aliquid incommodi ab mole ejus sentiret, facile ab eo liberari potest, incisione in tumorem, per omnem longitudinem ejus, facta; humor tunc ex cellulis funis exprimendus est, et curatio perficitur in solito more, idoneis remediis vulneri admotis.

Altera species hydroceles sita est in eadem membrana; ast aqua, haud per cellulas diffunditur, ut in priori, sed hoc corpus in

saccum condensatur, ut in atheromatibus in aliis corporis partibus accedere solet: et hic morbus modo in eodem, ut hydrocele tunicae vaginalis, et levari et persanari potest.

FINIS.